

tium existentiæ non habet , seu nunquam cœpit , & à non esse ad esse mutatum non est , Scholasticis hinc dictum æternum à parte ante pariter ac à parte post . Qvo sensu Theologis ens infinitum , & ens æternum absolute æquipollentia nomina sunt . At creaturam sine initio existentiæ esse , contradictrium est , quoniam sic esse creaturæ tolleretur , quippe quæ per hoc creatura est , quod à Creatore , cum antea non esset , ad esse mutata initium existentiæ suæ accepit . Quicquid autem initium sui habet , quomodo id æternum erit ? Initium namque haberet , & non haberet initium simul , quod absolute impossible est . Rectissime DN. WOLFIUS *Metaph.* §. 39. æternum esse , dicit , quod initio & fine caret . Was nothwendig ist , ist auch ewig , das ist , kan weder Anfang noch Ende haben . Mundus autem per creationem initium esse sui accepit : ideoque æternus esse non potest . Frustrè contrarium sentientes , ad æternam omnipotentiam DEI provocant . Aliud enim est : DEum ab æterno potuisse creare mundum , id quod nemo DEum agnoscens inficiabitur ; aliud , DEum potuisse mundum creare ab æterno , ut actus creandi pariter ac illius terminus sive effectus æternus sit , quod negamus , ob manifestam , quæ subest , contradictionem . Quemadmodum igitur omnipotentiæ divinæ non derogat , quod factum infectum reddere , aut duo contradictoria simul vera facere non potest ; ita etiam eidem nihil inde decedit , quod non potuit mundum creare ab æterno , quia hoc contradictrium est . Nec contrà urgeri potest generatio Filii DEi ab æterno , per quam Filius Patri coæternus est . Per hanc quippe Pater eandem numero essentiam suam Filio communicavit , Filiusque cum Patre unum est , Joh. X, 30. I. Joh. V, 7. at mundus nec ex essentiâ divinâ productus est , nec in eâdem terminatur , aut subsistit , adeoque nec unum est cum DEo , & consequenter DEo coæternus esse non potest . Solent equidem , qui contrarium statuunt , negare , ex assertâ possibilitate creationis mundi ab æterno rectè concludi ad coæternitatem mundi cum DEo , inter-